

xrite

colorchecker CLASSIC



100mm

M.C.D. 2022

A-914-5

R. 45.288

SACROSANCTAE
THEOLOGIAE THESES

QUAS

CORAM ILLUSTRISSIMA AC REVERENDISSIMA

CONGREGATIONE BENEDICTINA,

CLAUSTRALI, TARRACONENSI, ET CAESARAUGUSTANA

IN EIUSDEM BARCINONENSI D. PAULLI COLLEGIO

PROPUGNANDAS SUSCIPIET

DIEBUS VII ET VIII MAII ANNI MDCCCVI HORA IV POMERIDIANA

IN GRATIAM VERO STUDIOSAE IUVENTUTIS DIE XXVIII APRILIS

HORA VIII MATUTINA,

D. D. RAYMUNDUS DE MENA ET DE FERRAN

MONACHUS REGII MONASTERII S. CUCUPHATIS VALLENSIS,

PATRONO

D. D. ROCHO DE OLZINELLAS ET DE MIQUEL

MONACHO REGII MONASTERII S. MARIAE RIVIPULLI.



BARCINONE:

EX TYPOGRAPHIA ANTONII SASTRES.

27-1-1806

A-914-5

R. 45.288

SACROSANCTAE
THEOLOGICAE THESES

QUAS

CORAM ILLUSTRISSIMA AC REVERENDISSIMA
CONGREGATIONE BENEDICTINA,
CLAUSTRALI, TARRACONENSI, ET CAESARAUGUSTANA
IN EIUSDEM BARCINONENSI D. PAULLI COLLEGIO

PROPUGNANDAS SUSCIPIET

DIEBUS VII ET VIII MAII ANNI MDCCCVI HORA IV POMERIDIANA

IN GRATIAM VERO STUDIOSAE IUVENTUTIS DIE XXVIII APRILIS

HORA VIII MATUTINA,

D. D. RAYMUNDUS DE MENA ET DE FERRAN

MONACHUS REGII MONASTERII S. CUCUPHATIS VALLENSIS,

PATRONO

D. D. ROCHO DE OLZINELLAS ET DE MIQUEL

MONACHO REGII MONASTERII S. MARIAE RIVIPULLI.



BARCINONE:

EX TYPOGRAPHIA ANTONII SASTRES.

27-1-1806

Quidquid in ingenuis mundana discitur arte
Artibus, hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quidquid amatur in illis,
Hoc á fonte meat, huius ab amne fluit.
S. Theodulphus in fronte Bibliorum, quae ipse describi fecit.



ILLUSTRISSIMAE AC REVERENDISSIMAE

CONGREGATIONI

BENEDICTINAE, CLAUSTRALI, TARRACONENSI,

ET CAESARAUGUSTANAE CET. CET.

PERPETUAM FELICITATEM.

*I*lluxit tandem aliquando ille mihi semper optatissimus, ac iucundissimus dies, ILLUSTRISSIMA CONGREGATIO, quo ita concessum arbitror maximum eorum,

qui *Monachos nostros ab omni scientiarum cura, at-
que opera liberos esse volunt, errorem profligare, ut
ridiculam hanc, feneque insanientem cogitandi ratio-
nem ipsis Maiorum vestigiis contrariam esse, pru-
dentique eorumdem institutioni penitus oppositam, in
aspectum, lucemque proferre non dubitaverim. Quo
nihil profecto nunc gloriosius, nihil Tibi gratius; ne
tempore quidem ipso opportunius fieri posse videtur.
Quis enim ignorat Maiores Tuos lectissimos illos to-
tius Christianae Reipublicae viros, fulgentissima
sanctissimi Tui Ordinis lumina, pulcherrimarum
scientiarum omnium, sacrae praesentim Theologiae,
utpote quae caeteras dignitate longe superat, studium
cum pretioso virtutis ornamento mixe coniunxisse?
Utilissimos divinae Scripturae fontes temporum iniu-
ria neglectos, integros omnino, purosque custodire,
innumera, quae Scriptorum incuria, atque imperitia
inreperant menda corrigere, alienae linguae phrases,
et proverbia explanare, difficiles obscurosque textus
exponere, ambigua loca distinguere, plenam denique
cumulatissimamque divinarum litterarum cognitio-
nem habere, haec certe amoenissima sunt studia,
ILLUSTRISSIMA CONGREGATIO, in quibus serio ornateque
tractandis omnem operam, industriam, diligentiam
sapientissimi homines adhibere. Quid? quod antiquo-*

rum Patrum scripta, veterum Pontificum decreta, et
priorum Ecclesiae Conciliorum monumenta summis
Maiorum Tuorum laboribus accurate conquisita,
purgata, et in lucem edita fuere. Testantur id flo-
rentissimae, quae in omnibus fere Ordinis Tui Mo-
nasteriis reperiuntur Bibliothecae, testantur opti-
ma, et antiquissima singulari studio, et diligentia
in iisdem adseruata volumina, testantur utilissima
quidem, et politissima multa commentaria à Bene-
dictinis Monachis exudite admodum sciteque elabo-
rata. Magna equidem et immortalis Benedictinae
familiae laus, ita firmissima divinae scientiae prae-
sidia à Maioribus suis tradita fuisse, ut otiosis qui-
busque, et inanissimis quae iuuenum ingenia potius
obruere, quam iuvare possunt, penitus abiectis quaes-
tionibus, detractum ipsi nitorem restituerint, primum
reddiderint, in eoque conservarint. Quantum tunc
profecto splendoris, quantum dignitatis, ac gloriae
praestantissimae facultatum omnium Theologiae ac-
cessit! Atque inde potissimum factum est, ut ex am-
plissimo Tuo Ordine, tanquam ex communi quodam
litterarum, ac virtutis gymnasio, tot disertissimi
prodierint Doctores, tot insignes Patroni, tot sapien-
tissimi, sanctissimique Pontifices, qui eloquentissimis

*

suis scriptis Christianam Rempublicam illustrarunt, haeresum monstra iugularunt, nullisque pro Ecclesiae salute, et Christi gloria laboribus, ac periculis pepercerunt. Tanta enim est, ILLUSTRISSIMA CONGREGATIO, sacrae doctrinae praestantia, atque utilitas, ut qui ea instructi semel, et iterum ornati evaserint, aptiores ad omnia et melius regenda, et felicius administranda esse videantur; illa vero neglecta omne Religionis decus obscurari, imo et totam ipsius structuram labefactari necesse sit. Ergo qui coelestis huius facultatis cognitione careat, qui in fidei morumque scientia hospes sit plane, ac peregrinus, qui nullis nec divinis, nec humanis sit instructus disciplinis, quo pacto commissum sibi gregem salubriter pascere, rectam salutis viam aliis ostendere, Monasterii iura tueri, dissidia componere, futura providere, omnia bene, et prudenter poterit administrare? Nisi certe ille, penes quem est Monasterii regimen, atque potestas, praeclarissimis virtutum, et scientiae dotibus emineat, nec exemplo solum, sed dictis etiam, et crebris exhortationibus timidos confirmet, iacentes erigat, et ad iniunctum unicuique munus fideliter obeundum constantissime excitet, de regulari disciplina, deque Religione ipsa actum iam est, ac penitus concla-

matum. Recte igitur, ILLUSTRISSIMA CONGREGATIO, e-
gregia Maiorum Tuorum exempla renovans, claris-
simos sapientia, et eruditione viros incredibili prose-
quaris benevolentia, tantamque bonis artibus, subli-
miorique omnium Theologiae summa Tua sollicitudi-
ne accessionem fieri conaris, quantam vix ipsa, in me-
liori etiam alta sinu, consequi posset, ac peroptare.
Quot enim eaque praeclarissima huic Barcinonensi
Tuo Collegio, ut Tui Ordinis Alumni solidissimis
Philosophiae, et Theologiae praeceptis ad veram per-
ducentibus sapientiam facilius informentur, contulis-
ti beneficia! Quot eaque amplissima à Te constituta
praemia, ut iuvenum animos amore gloriae succendas,
et iis, qui assidua mentis cogitatione de litteris stu-
dent bene mereri, commodiorem multo, ac latiorum mu-
nias, praestruasque viam! Cum itaque benignitatem
istam, et inauditam post hominum memoriam benefi-
centiam, qua scientias omnes, studiorumque nostro-
rum patrocinium suscipis, venio consideraturus, ni-
hil à me expectandum esse cognosco, quod non, qua-
tecumque demum illud sit, ut pote à Te profectum,
illustrissimo nobilissimoque Tuo nomini inscribi pu-
tem oportere. Exiguum sane est, ILLUSTRISSIMA CON-
GREGATIO, munusculum hoc, quod tantis de caussis,

tantisque nominibus dicatum Tibi, ac consecratum vo-
to, atque ardentissimo, quo ad me Tibi obsequentis-
simum orandum impelleris amori omni ex parte
impax esse profiteor, meamque non hisce solum
circumscribi limitibus, sed latius diffundi volunta-
tem. Haec autem, in maioris potissimum momenti re,
me manet consolatio, non Te fugere, beneque scire,
quae non sine ingenti iustoque animi dolore litterarum,
ac iucundioris maxime Theologiae progressus, hocce
delabentis triennii curriculo, tantopere retardarunt.
Quibus omnibus spero fore, vehementerque confido,
ut haec Theologica adserta eadem, qua optima, et
indulgentissima Mater amantissimum filium suum
solet complecti, accipias voluptate.

Fr. Raymundus de Mena et de Ferran.



DE SCRIPTURA SACRA.

I. **SCRIPTURA** sacra, quae tum in veteri, tum in novo Testamento continetur recte definitur: verbum Dei ab auctore hagiographo afflante Spiritu Sancto scriptum, et ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum.

II. Qui rotunde adserunt Scripturae sacrae libros sive veteris, sive novi Testamenti veros, genuinos, et authenticos non esse, sed ab aliquo impostore confictos, delirant prorsus, et manifeste hallucinantur; huiusce siquidem nullum, vel levissimum suppositionis vestigium Pseudo-Philosophi proderere possunt.

III. Debilibus certe nititur fundamentis illorum sententia, qui originalem veteris Testamenti textum corruptum omnino, et in universum depravatum ad nos pervenisse contendunt; licet enim aliquid ex Scriptorum saltem incuria, et oscitantia vitii contraxisse, atque nonnullas subisse mutationes dicamus, hae tamen levioris sunt momenti, nec partes ipsius substantiales attingunt.

IV. Primigenium novi etiam foederis textum eo dumtaxat sensu integrum, perfectumque ad nos usque transmissum esse defendimus, quod non fuerit quoad fidem, et mores, sive substantiam adulteratus: si quae igitur vel mutationes, vel detractioes, vel additiones in ipso reperiantur, non tanti habendae sunt, ut ex iis sua sacro textui auctoritas detrahi debeat.

V. Principalem Scripturae sacrae auctorem non alium esse, quam ipsummet Deum, qui Scriptoribus sacris tanquam instrumentis ad scribendum usus est, proindeque commentitium aliquid, falsitatemque redolens á Prophetis, et Apostolis minime scriptum fuisse, vel commemoratum, sed Spiritu Sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines, jure contendimus, atque adversus omnes Novatorum cavillationes firmiter propugnamus.

VI. Hinc Scripturam sacram divina pollere auctoritate, inconcussam esse, et infallibilem fidei nostrae, morumque regulam, atque irrefragabile penitus testimonium ex illa Theologum depromere posse, evidenter conficitur. Id á Patribus accepimus, id fidelium animis insitum, et quasi insculptum est, id itaque nos Ecclesia praesertim ipsa magistra, et duce retinere debemus.

VII. Scriptura aliqua humano exarata spiritu, licet Spiritus Sanctus omnia postmodum in ipsa contenta tanquam erroris expertia, vera, salutaria, atque Catholicae fidei conformia approbaverit, cum ab eo tamen



non proficiscatur, et non nisi humanae industriae sit opus, Scriptura sacra minimé efficitur, nec recte verbum Dei potest appellari.

VIII. Neque ad Scripturam sacram constituendam specialis Spiritus Sancti adsistentia, qua Deus auctores sacros eo fere modo, quo Ecclesiam in condendis fidei definitionibus dirigit, nec illos errori obnoxios esse permittit, sufficere videtur; ut enim aliquid verbum Dei merito censeatur, ab eius, ut ita dicamus, ore prodierit necesse est.

IX. Ad ea omnia, quarum accuratam prius cognitionem vel á Deo, vel á se ipsis, vel á testibus omni exceptione maioribus Scriptores sacri non habuerunt, scribenda, plane necessariam fuisse Spiritus Sancti revelationem, nemo sanus in dubium vocare poterit. Quis autem dixerit Apostolos, Evangelistas, aliosque auctores sacros nova, divinitusque facta indiguisse manifestatione, dum ea, quae audierant, quae oculis suis viderant, quae perspexerant, quae manibus contrectaverant, nobis referunt, atque testantur?

X. Quaecumque in sacris codicibus continentur, non alia ratione verbi divini dignitatem obtinent, nisi quia Deus Scriptoribus sacris, tum eorum mentem, ne quid falsi illis excidere posset, illustrans, tum voluntatem ad scribendum, veritatique firmiter, et constanter adhaerendum efficaciter movens, perpetuo adfuit. Vera ergo, et proprie dicta Spiritus Sancti inspiratio ad Scripturam sacram absolute necessaria fuit.

XI. Divinos sacrae Scripturae libros tanta cura, et Dei adsistentis afflatu scriptos fuisse, ut Spiritus Sanctus non res modo, atque sententias, sed verba etiam, verborum ordinem, ac stilum ab operis initio usque ad finem suggesserit, et veluti dictaverit, imo ne apex quidem ulus sit, qui non fuerit á Spiritu divino suppeditatus, tanquam probabilius tuendum suscipimus.

XII. Iuxta communiorem, et magis receptam D. Hieronimi sententiam, tot Hebraei in suo canone sacrae Scripturae libros numerabant, quot sunt Hebraei alphabeti litterae. Viginti igitur duobus, quos in Legem, Prophetas, et Hagiographos distribuebant, tantum admissis, libros Tobiae, Iudith, Baruch, Sapientiae, Ecclesiastici, primum, et secundum Machabaeorum, quamvis maxima susceperint veneratione, pro canonicis tamen non habuerunt.

XIII. Perperam recentiores Haeretici omnes illos, qui in antiquo Iudaeorum canone non reperiuntur, atque nonnullos novi etiam Testamenti libros, Epistolas nempe Paulli ad Hebraeos, Iacobi, Iudae, secundam Petri, duasque Ioannis posteriores, et Apocalypsim á numero sacrorum eximere conantur; postquam enim Ecclesia universa Scripturarum catalogum in Concilio Tridentino texuit, ac definivit, tenetur quilibet septuaginta duo, quae ex utroque Testamento sess. 4 recenset volumina, pro divinis, et canonicis recipere, ac venerari.

XIV. Concilium Tridentinum, in suo de canonicis Scripturis decreto, novum sacrorum librorum canonem, novumque fidei dogma non condidit, sed quem plures, graviorisque auctoritatis Ecclesiae ab antiquissimis temporibus constantissime tenuerunt, atque ab ipsismet Apostolis receperunt, traditionis subsidio declaravit, et promulgavit.

XV. Si alicuius libri divinitas in contentionem veniat, cum nec ex Scripturis ipsis, nec ex privata cuiusvis opinione, censura ferenda sit, non-

nonnisi ad Ecclesiae tribunal, quae est *columna*, et *firmamentum veritatis* tanquam ad lydium lapidem quaestio referenda videtur; cuius quidem irrefragabilis auctoritas, vel ad libros sacros admittendos, vel ad eos repellendos, qui sacri non sunt, firmum certissimumque exhibet argumentum.

XVI. Autographos, seu originales veteris Testamenti codices Hebraicos fuisse omnes, exceptis Danielis, Esdrae, Tobiae, Iudith, qui Chaldaice primum fuere conscripti, et Sapientiae, atque secundo Machabaeorum Graeca lingua iuxta S. Hieronimum exaratis, licet non omnino certum, valde tamen probabile existimamus.

XVII. Quoad novum autem Testamentum communior, eaque probabilior tenet opinio, exceptis tantummodo Mathaei Evangelio, et Paulina ad Hebraeos Epistola Hebraico sermone, vel potius Syriaco Iudaeis tunc vulgari, primitus descriptis, caeteros omnes tum Apostolorum, tum Evangelistarum libros Graece ab initio, sive ab ipsismet illorum auctoribus editos fuisse.

XVIII. Longum sane foret, nec ad rem quam instituimus necessarium, omnia hic Scripturae sacrae Apographa, sive exemplaria enumerare, editionesque singulas persequi, quae diversis linguis, diversisque temporibus in lucem prodire; sed cum tres praecipuae et maxime nobiles communiter habeantur, Hebraica nimirum, Graeca, et Latina, de iis dumtaxat, earumque auctoritate nobis sigillatim est disserendum.

XIX. Hebraicae editionis nomine eam intelligimus, quam Esdras post captivitatem Babylonicam, non quidem deperditam omnino, vel in incendio Templi á Nabuchodonosore combustam, de novo edidit, sed in varios distributam codices in unum corpus, sive Scripturarum catalogum rededit, divinoque suffultus auxilio, á multis expurgavit depravationibus, et ad suam primaevam puritatem reduxit.

XX. Editionem hanc, qua D. Hieronimus in sua usus est versione, antiquae Synagogae, quae Esdrae canonem solemniter approbavit iudicio, auctoritati innixam, veram, authenticam, nec non ad sacrarum etiam litterarum intelligentiam, falsissimasque Iudaeorum, et Haereticorum interpretationes cavendas utilissimam esse, adfirmamus.

XXI. Antiquissima illa, quae septuaginta Interpretum nomine circumfertur versio, á septuaginta duobus utriusque linguae Hebraicae nimirum, et Graecae peritissimis sic dicta Iudaeis, qui regnante, ut creditur, Ptolomaeo Philadelpho Aegyptiorum Rege sacros veteris Testamenti libros ex Hebraico in Graecum sermonem transtulerunt, non sine speciali Spiritus Sancti adistentia, et afflatu facta videtur.

XXII. Ante Hieronimi aetatem, et á primis Ecclesiae saeculis innumerae propemodum ex Hebraicis, Graecisque fontibus latinae versiones emeruerant; *at vero nunc* inquit doctissimus Canus lib. 2. de loc. cap. 13. *Sancti Spiritus sine dubio peculiari providentia, Damasi sollicitudine, Hieronimi summis laboribus, Ecclesia sancta concordem Scripturarum unitatem accepit, omnisque sublata de medio varietas est, unica latina editio omnium consensione recepta.* Vulgatae itaque nostrae auctor est D. Hieronimus; hoc tamen sensu, quod totum fere vetus Testamentum ex Hebraeo transtulit in Latinum, et novum á mendis purgando Graecae fidei reddidit.

Con-

XXIII. Concilium Tridentinum non ita Vulgatam nostram declaravit authenticam, ut omnis prorsus mendii etiam levioris sit expers, et quasi nulla tunc indigeret correctione, sed eam tantummodo nihil rectae fidei, aut bonis moribus contrarium continere; ideoque in his omnibus, quae ad fidem, et mores spectant á cunctis Christi fidelibus retinendam esse, atque in publicis lectionibus, praedicationibus, et expositionibus recipiendam, definivit.

XXIV. De multiplici Scripturae sacrae sensu tum litterali, sive proprio, sive metaphorico, tum mystico vel allegorico, vel anagogico, vel tropologico interrogati, libenter respondebimus.

DE TRADITIONIBUS DIVINIS.

I. **N**ON omnia fidei dogmata, et morum praecepta etiam á Protestantibus credita in sacris litteris vel aperte, vel obscure continentur: parum itaque sibi constant Lutherani, et Calvinistae, dum traditiones omnes incredibili impudentia labefactare, et funditus delere nituntur, nullamque praeter verbum Dei scriptum fidei nostrae regulam agnoscere volunt.

II. Vetustissimi illi primorum saeculorum Patres, qui in lege naturae ante Moysen veri Dei cultores sunt habiti, veram Christi venturi fidem, remedium ad peccatum originale tollendum, circumcisionis pactum, sacrificiorum ritum, et alia huiusmodi, non aliunde quam ex traditione, citra ullam prorsus Scripturam tenuere.

III. Moyses scriptam quidem legem populo dedit, secretiora autem, quae in monte divinitus didicit mysteria, non scriptis, sed viva voce, perfectis solum, et maioribus, ut ea deinceps magna proderent religione, communicasse credimus: quare in lege Mosaica praeter Scripturam, plurimae extiterunt divinae traditiones ad fidem, et mores pertinentes.

IV. Ex Christi, et Apostolorum traditionibus, non minus quam ex verbo Dei scripto, certissima in fidei gratiam elici posse argumenta, imo divinas, Apostolicasque traditiones tum ad quaedam fidei, morumque dogmata, quae in canonicis litteris non reperiuntur, stabilienda, tum ad veras Scripturas á falsis secernendas, legitimumque earum sensum eruendum, necessarias esse adeo certum est, et exploratum, ut qui eas contemnere sunt ausi, iure, ac merito ab Ecclesia tanquam Haeretici semper fuerint explosi. Fateamur ergo, quod negari vix ac ne vix quidem potest, in lege nova fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab Apostolis esse traditam.

V. Divinae traditiones cum Apostolicis nullatenus sunt confundendae; extant profecto quatuor praecipuae, quibus discernuntur regulae, quas siscitanti exponemus.

DE ECCLESIAE PATRIBUS.

I. **E**CCLESIAE Patrum auctoritas in rebus pure Philosophicis non alio, quam rationis, cui innititur, premit pondere; unde si ultra probabilitatis gradus, ratio non progreditur, probabile remanet argumentum. Verum non hic SS. Patrum auctoritatem Philosophica metimur lance.

II. Unius aut duorum Ecclesiae Patrum, etiam de his, quae ad sacras litteras, et fidei doctrinam pertinent, aliis tacentibus, sententia probabile quidem, non vero firmum omnino subministrare potest argumentum. Licet itaque nobis, salva tamen reverentia, quam filii debent parentibus, post contrariam veritatem compertam, illorum placita aperte, planeque relinquere.

III. Quando plures in eandem conveniunt sententiam Patres, aliis licet numero paucioribus ex adversa stantibus parte, quinam felicius germanum, aut Scripturae, aut traditionis sensum fuerint assecuti, nequit nobis certo innotescere; si opposita enim paucorum opinatio ab Ecclesia non sit reiecta, tum plurimorum auctoritas nihil certum firmumque conficere potest.

IV. Unanimis SS. Patrum in aliquod dogma consensus, certissimum est divinae traditionis testimonium, ipsorumque sensus ipsissima est Ecclesiae Catholicae, atque Spiritus Sancti Ecclesiam per Patres regentis doctrina. Quamobrem, etsi ex iis nonnulli circa fidem interdum orthodoxam in aliquem prolapsi inopinately fuerint errorem, cum impossibile tamen sit, ut quod omnes uno ore tanquam Ecclesiae fidem commendant, ad eam non pertineat, certa ex illorum auctoritate Theologicis conclusionibus confirmandis depromi argumenta persuasum omnibus esse debet.

DE ECCLESIAE MEMBRIS.

I. **E**CCLESIA optime definitur á Bellarmino: *coetus hominum viatorum unius, et eiusdem fidei Christianae professione, et eorumdem Sacramentorum communionem adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis Christi in terris Vicarii.*

II. Cathecumeni quantumvis veram fidem, spem, et charitatem habeant, atque fidelium societati sincere aggregari cupiant, corporis Ecclesiae membra actu, et perfecte nequeunt appellari: *nondum sunt renati*, inquit Augustinus Pater initio serm. 2. de symb. vel quicumque ipsius auctor fuerit, *sed per crucis signum in utero Matris Ecclesiae concepti.*

III. Absurdissima, nec non apertissimis Christi parabolis vehementer repugnans est illorum opinio, qui ut praecepta omnia, sanctiones, omnemque funditus Ecclesiae potestatem evertant, atque extra Ecclesiam se esse non convincantur, solis ad gloriam praedestinati, reprobis quibuscumque exclusis, locum in Ecclesia Catholica concedunt.

IV. Ecclesiam hortum conclusum esse, fontem signatum, puteum

B

aqua-

aquarum viventium, sanctam, pulchram, perfectam, sine macula, et ruga gloriosam, ut in ea nullum infirmum, nullumque improbum existere conficiant, impudenter nobis opponunt Haeretici; prout enim in teris militans Christi Ecclesia consideratur, quoscumque sive occultos, sive publicos, modo eandem sub legitimis Pastoribus fidem exterius profiteantur, peccatores complecti, per se notum est, atque indubitatum.

V. Quemadmodum infideles nondum baptizatos Ecclesiae Christi voce intelligere non cum veritate solum, sed cum sensu etiam communi pugnat, ita publicos tum Haereticos, qui revelatam, et ab Ecclesia ad credendum propositam veritatem pertinaciter negant, tum Apostatas, qui postquam Christo nomen dederunt, ipsum abiicere veriti non sunt, nequidem quoad corpus cum Ecclesia esse coniunctos, proindeque nec ipsius membra vocari posse, constituendum est.

VI. Cum Christus in Ecclesia Vicarium unum constituerit, simul, ac fidelis quilibet hunc aperte, palamque abiecerit, absdubio et corporis, et ovilis Domini deserit unitatem. Schismaticos ergo omnes, qui universalis caput Ecclesiae publice agnoscere renuunt, ac spiritus in vinculo pacis unitatem servare minime sunt solliciti, ab Ecclesiae corpore seiunctos esse, merito adserimus.

VII. Quodnam vero de Haereticis, et Schismaticis occultis, qui errorem dissimulantes suum, quod interius negant, exterius profiteri videntur, ferendum est iudicium? Licet ad Ecclesiae animam nullatenus pertineant, nec ullum a Christo vitae spiritualis actum percipiant, eius tamen membra imperfecte saltem, et quoad visibile dumtaxat corpus, probabiliori quidem nostra sententia non immerito dicuntur.

VIII. Contumaces autem peccatores, qui excommunicationis maioris gladio iugulati communibus Ecclesiae bonis, Sacramentis scilicet, Sacrificiis, suffragiis, et orationibus iustissime privantur, sive vitandi sint, sive tolerati, tanquam Ethnici, seu a corporis Christi unitate, ac ipsius membrorum numero praecisi prorsus, et separati, ab omnibus habendi sunt.

DE ECCLESIAE NOTIS, ET PROPRIETATIBUS.

I. **U**T vera Christi Ecclesia, cui nomen dare, et in qua permanere omnes tenentur homines facile dignosci, et a falsis Haeticorum, ac Schismaticorum societatibus, quae se Christianas immerito nuncupant, discerni possit, certis quibusdam notis, sive indubitatis fulgere debet signis sensibilibus, quorum ope cunctis etiam rudioribus, ubinam ipsa deprehendatur, clare, atque perspicue innotescere queat.

II. Sinceram verbi divini praedicationem, et legitimum Sacramentorum usum, cum neque obvia sint, neque sensibilia, et omnium captui accomodata, omnibusque careant conditionibus, quominus veram Christi Ecclesiam ostendere valeant, non nisi inepté, et absurde pro genuinis ipsius notis a Protestantibus adsignari, nemo sanae mentis inficiari poterit.

III. Quibusnam igitur conspicuis, ac splendidissimis vera Christi Ecclesia notis insigniri, ac irradiare oportet? Non aliis certe quam qua-

tuos

tuor illis , quas Ecclesia in Concilio Constantinopolitano congregata , definivit his verbis : *Credo :: Unam , Sanctam , Catholicam , et Apostolicam Ecclesiam.*

IV. Nisi Ecclesia eandem profiteatur fidem , iisdem utatur Sacramentis , atque legitimis ubique terrarum Pastoribus subiiciatur , adeo ut quas-cunque alias , quarum fides diversa est , societates excludat , omnesque Haereticorum , et Schismaticorum sectas , quae Christiano nomine immerito gloriantur , é gremio suo removeat , vera non gaudet unitate. Novella itaque , totique antiquitati incognita articulorum *fundamentalium* , et *non fundamentalium* á Iurio excogitata distinctio , tanquam fictitia , prorsusque vana , á Catholico viro est reiicienda.

V. Visibile unitatis Ecclesiae centrum in Petri , Summorumque Pontificum ipsius successorum Cathedra constitutum esse , sive Romanam Sedem caeteris praepositam esse , tantamque á Christo auctoritatem accepisse , quanta ad continendos Christianae Reipublicae cives in fide , Religione , officio necessaria est , Ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnovit.

VI. Triplicem illam unitatem , quae verae Christi Ecclesiae est nota , in Ecclesia Romano-Catholica adinveniri certissimum est : quoniam ergo iure eam sibi vindicare audent Protestantium , aut aliorum quorum-cunque societates , quae Scripturae sacrae intelligentiam proprio , et privato cuiuscumque permittentes iudicio , nonnisi oppositas omnino circa illa etiam dogmata , quae *fundamentalia* vocant , sententias , fideique professiones variis temporibus edidere?

VII. Quamvis non omnia Ecclesiae membra ea sint praedita sanctitate , quam in ipsis optima , et piissima Mater desiderat , nihilominus cum sanctissimos habuerit fundatores , eamque profiteatur doctrinam , quae nihil nisi sanctitatem spirat , atque commendat , nonnullosque eminenti etiam virtute conspicuos in sinu suo filios complectatur , iure merito sancta , et immaculata praedicatur ; quo in sensu ita Ecclesiae Romano-Catholicae propria est sanctitas , ut nulli alii ab ipsa separatae communioni convenire possit.

VIII. Veram Christi Ecclesiam eo sensu Catholicam , sive in omni gente , populo , natione , sexu , conditione longe lateque patere dicimus , quod in praecipuis orbis totius partibus ita emineat , ut licet in omnes , nulla prorsus excepta , regiones minime extendatur , quacumque tamen alia seorsim sumpta diffusior sit secta , nec in quibusdam tantum provinciis , aut regnis contineatur.

IX. Ecclesiam Romano-Catholicam per totum fere orbem iuxta Prophetarum praedictiones diffundi , Pseudo-Reformatorum vero societates intra quasdam dumtaxat mundi partes coerceri ; ideoque Catholicae nomen nulli alteri , quam Ecclesiae Romanae omnino congruere , planum est , et expeditum.

X. Cum non aliam Ecclesia Romana , quam ab Apostolis traditam profiteatur doctrinam , eamque illibatam semper retinuerit , nullusque Haereticus , vel infensissimus etiam Romanae Ecclesiae hostis alicuius ipsi dogmatis novitatem possit exprobrare , vere Apostolica ratione doctrinae ab omnibus est habenda : quid vero clarius , quid certius , quam Haereticos omnes á communi Ecclesiae fide in singularem , et privatam

sen-



sententiam abiisse, proindeque eorum doctrinam non Apostolicam, sed falsam esse atque adulterinam?

XI. Ubinam ante Lutherum, et Calvinum Protestantium erat societas? ubinam signa sunt, et portenta, quibus se extraordinarie ad reformatam Ecclesiam missos esse probarunt? At nihil facilius, nihil expeditius, quam perpetuam, et nunquam interruptam Romanae Ecclesiae Pastorum ab Apostolis ad nos usque successionem ostendere. *Confingant tale aliquid Haeretici!* inquit Tertullianus lib. de praescript. cap. 32. *quid enim illis post blasphemiam illicitum est?*

XII. Vera Christi Ecclesia, quae tot splendidis notis undequaque fulget, et emicat, nullo unquam tempore suam amisit visibilitatem. Incassum itaque laborant Novatores, dum eam certis temporibus densissima involutam caligine, atque pene extinctam, et minime conspicuam fuisse, ex nonnullis Ecclesiasticae historiae monumentis persuadere contendunt.

XIII. Tot tantisque Christus Dominus perpetuam Ecclesiae suae durationem promissionibus communivit, ut ipsam nedum secundum partem sui invisibilem, internam nimirum fidem, spem, et charitatem, verum quoad partem etiam visibilem, ad interitum usque mundi permansuram esse, semperque lucernam super candelabrum, atque civitatem fore supra montem positam, ne dubitare quidem liceat.

XIV. Quam stultum sit, et ridiculum Scripturam sacram per se ita claram admittere, ut in promptu unicuique, vel leviter attendenti sine Magistro, et Interprete genuinus ipsius sensus pateat, nullusque alius praeter Scripturam ad omnes fidei, et morum controversias finiendas Index sit admittendus, tum ex veterum omnium vigiliis, studiis, operibus, tum ex innumeris ipsorum etiam Lutheranorum, et Calvinistarum de Scripturae sensu concertationibus nullo negotio, et labore evincere possumus.

XV. Nequaquam Christus Ecclesiae suae, quam proprio sanguine adquisivit unitati sufficienter providisse censi debet, si privatus cuiusque spiritus supremus, et infallibilis ponatur controversiarum fidei Index; ita enim nullum fixum, certumque disserendi potest esse principium, imo patentissima dissensionibus via aperiatur necesse est.

XVI. Christum Dominum Regibus, et Principibus Christianis claves tradidisse Ecclesiae, ipsisque necessariam ad res fidei, et morum definiendas infallibilitatem promississe, aut posse quemquam, cum de fidei dogmatibus agitur, ab Ecclesiae iudicio ad Principum tribunal appellare, res est in Ecclesia prorsus inaudita.

XVII. Sola igitur Ecclesia supra firmissimam petram innixa, sive corpus Episcoporum suo capiti Romano Pontifici adhaerentium necessaria, sufficientique litigantes, ad suae adquiescendum sententiae, compellendi partes, pollet auctoritate; atque tum omnes docendi gentes mandatum, tum de rebus ad Religionem pertinentibus iudicandi privilegium a Christo accepit.

XVIII. Ecclesia adversus quam portae inferi nec praevalere unquam, neque in posterum praevalerunt, cuique Christus Spiritum veritatis, atque specialem ad finem usque mundi adsistentiam promisit, prout per universum etiam orbem est dispersa, sive extra Concilium, nulli in fidei, morumque controversiis erroris periculo subesse potest.

XIX. *Turpiter*, inquit Melchior Canus lib. 5. de loc. cap. 5. concl. 3.

Errabit Ecclesia in doctrina morum , si legem ferat de Divo colendo , quem colere si Divus non est , et cum ratione , et cum Evangelio pugnat. Ecclesiae itaque circa Beatorum canonizationem decretum prorsus infallibile esse, nec nisi temerarie, et irreligiose ipsius in Divis consecrandis fidem abrogari posse defendimus.

XX. Licet servorum Dei beatificatio nihil sit aliud, quam indulgentia, seu permissio á Summo Pontifice facta, ut aliquis defunctus Beatus possit appellari, eique religiosus in aliqua Provincia, vel in toto etiam Christiano orbe cultus exhiberi valeat, Ecclesiae tamen hac quoque in parte iudicium errori minime obnoxium esse, evidenter credibile est.

XXI. Ecclesiam in Sanctorum beatificatione, et canonizatione infallibilem esse, non fide quidem divina, sed Ecclesiastica dumtaxat certum est, quae cum in speciali Spiritus Sancti adistentia subnixa sit, nihil stultius, aut impudentius, quam in aliquem ipsam conicere errorem, poterit quispiam comminisci.

XXII. Circa historica, sive pure personalia facta, ut cum de possessionibus, criminibus, internoque animi sensu agitur, quae non ex certis scilicet, firmisque principiis, ac fundamentis, sed ex hominum praecipue pendent testimoniis, aliquando per ignorantiam Ecclesiam errare non diffitemur; in factis autem dogmaticis, sive doctrinalibus definendis errore unquam captam esse, aut interdum capi posse, nemo unus, nisi Ianseniano sit dogmate imbutus, adfirmat.

DE ROMANO PONTIFICE.

I. ANTEQUAM de hoc mundo ad aeternum Patrem Christus Dominus migraret, visibilem in terris sui Vicarium pro Ecclesiae regimine constituere volens, Beatissimo Petro Apostolorum Principi peculiari quadam ratione, ac privilegio regni coelorum claves, sive ligandi, solvendi, atque pascendi munus demandavit, illumque, ut totius Ecclesiae caput esset, et fundamentum, necnon supremus Dominici gregis Pastor, et Rector caeteros inter Apostolos specialiter elegit.

II. Supremam istam, quam D. Petro Christus contulit potestatem nequaquam cum ipso interiisse, sed ad legitimos eius successores fuisse transmissam, res est apud Catholicos inconcussa. Cum itaque Romanus Pontifex verus, legitimus, et indubitatus sit Petri successor, ideoque eundem ac ille non solum honoris, verum etiam iurisdictionis in universa Ecclesia primatum iure divino obtineat, irrito prorsus conatu cum ab Ecclesia Graeca, tum á Lutheranis praesertim, et Calvinistis, quorum in Romanam Ecclesiam contentio pertinax, et odium aeternum est, summa ipsius auctoritas impetitur.

III. Nullius unquam Romani Pontificis ex Cathedra pronuntiantis, sive ex Apostolico officio, et auctoritate publicas universalis Ecclesiae partes, tanquam ipsius caput et Pastor, agentis, falsa aliqua, vel á fide Catholica abhorrens, atque Evangelio, et rectae rationi contraria, in medium proferri potest definitio.

IV. Liberium Summum Pontificem nunquam Ariana haeresi fuisse in-

fectum, neque Nicaenam fidei professionem, aut formulae expresse Arianæ subscribendo, aut vocem *Omoousion* fidei tunc tesseram orthodoxæ damnando, eiurasse, validissimæ argumentationes demonstrant.

V. Honorius I. in suis ad Sergium epistolis nulla ratione Monothelitis adhaesit, imo Monothelitarum potius dogma, ac doctrinam dedocuit. Non itaque tanquam Haereticus, sed tanquam nimiae dumtaxat facilitatis, et inconsultae dissimulationis reus, eo quod Sergii de supprimendo unius, vel geminae operationis vocabulo consilium sequendo, illius haeresi saltem indirecte faverit, á Synodo VI. fuit damnatus.

DE CONCILIIS.

I. **C**ONCILIUM generice sumptum, quod á Graecis *Synodus* vocatur, nihil aliud est, quam: congregatio Praelatorum Ecclesiae legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiae gravioribus, quales sunt res fidei, morum, et disciplinae.

II. Concilia generalia convocandi potestatem ad illum iure ordinario Episcopum pertinere, qui verus est Christi Vicarius, totius Ecclesiae caput, omniumque Christianorum Pater, et Doctor supremus, ita certo cognoscitur, ut probatione non egeat. Qua ergo fronte Romano Pontifici generale indicenti Concilium obtemperare renuunt Novatores, atque concessam ipsi á Christo Domino facultatem denegare audent?

III. Peritos omnes etiam laicos ad Concilia vocandos esse, atque in eis, tanquam controversiarum ad fidem, et mores pertinentium iudices, definitivi quoque suffragii ius habere, Lutheranorum figmentum est, omnibus retro saeculis prorsus inauditum; non alios enim, quam Episcopos, qui sicut claudendi, et aperiendi, ita ligandi, solvendique auctoritate pollent, tale sibi privilegium iure vindicare posse, ex perpetuo Ecclesiae usu confirmatum satis, et stabilitum videmus.

IV. Ordinaria Concilio generali vel per se, vel per suos Legatos praesidendi potestas, non Imperatoribus, aut Christianis Principibus, prout Lutherus, et Calvinus omnia Christianae Reipublicae munera perturbantes temere iactitabant, sed soli Ecclesiae capiti Pastoriq; supremo, cui tuendae, et conservandae Religionis cura commissa est, quique inter Concilii celebrandi membra primum ex divina institutione tenet locum, iure optimo tribuitur.

V. Concilium perfecte oecumenicum á Romano Pontifice approbatum, et confirmatum incorruptus est veritatis Iudex, verus atque legitimus divinarum Scripturarum interpres, divinae voluntatis nuntius, infallibilis, atque irrefragabilis fidei nostrae, morumque regula, utilissimum extirpandarum haeresum, et instaurandae Religionis remedium; omnem denique universalis Ecclesiae auctoritatem proculdubio habet. Qui illius itaque decretis non obtemperant, merito Christi, et Ecclesiae hostes iudicantur.

VI. Particularium Conciliorum decreta, nisi ab Ecclesia peculiariter reprobata sint, non certum quidem, sed probabile tantum ad fidei dogmata suadenda suppeditare possunt argumentum: si Summi tamen Pontificis auctoritate, ac universae Ecclesiae applausu roborentur, indubitata fide, tanquam firma omnino, et irreformabilia tenenda sunt.

VII. Conciliorum generalium celebratio ad fidei, morum, disciplinaeque integritatem non adeo necessaria est, ut haeresis nulla, nullumque schisma absque Concilio sufficienter extingui possit, atque damnari; imo potius, teste Augustino lib. 4. ad Bonifac. cap. ult. rarissimae inveniuntur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit.

VIII. Quando maximis autem perturbationibus, dissidiis, schismatibus Ecclesia agitur, quando multi nobiliorum Ecclesiarum Episcopi in eadem fidei confessionem nolunt consentire, quando nova, et quae a pluribus iisque insignibus Ecclesiis propugnata, suo veneno potest magnos inficere populos, haeresis exurgit, non sufficientis quidem in Ecclesia dispersa auctoritatis defectu, sed tanquam medium ad pacem inter litigantes partes conciliandam aptius plane, et opportunius, generalem Episcoporum conventum quodammodo necessarium esse fatemur.

DE EXISTENTIA DEI.

I. **C**um Deus a nullo dependeat, a nulloque receperit esse, sed a se ipso, et in se ipso non libere, et contingenter, sed necessario semper fuerit, stulta prorsus, ac intolerabilis videtur illorum opinio, qui desumptis a priori, sive per causas argumentationibus, ipsius existentiam demonstrare nituntur.

II. A posteriori vero, sive per effectus ita invincibiliter demonstratur supremi Numinis existentia, ut mortalium vel stultissimum pudere debeat, aliquos fuisse qui *de his, quae videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.*

III. Hominis, bruti, plantae, lapidis, individui cuiuscumque existentia, et natura contingens est; ideis nostris clare percipimus nihil absolum, aut contradictorium esse, si ea omnia non existere supponamus: huiusce itaque vastissimi globi contingentia, entis necessarii existentiam, a quo immutabili sane principio propriam caetera cuncta receperint, manifestissime convincit.

IV. Necessitas alicuius primae causae, quae materiam ex nihilo eduxerit omnem, et primi motoris, qui motus adeo permanentes, constantes, et regulares materiae tribuerit, Dei existentiam apertissime ostendit.

V. Mirabilis huius mundi fabrica, dispositio, et ordo, qui in omnibus et singulis universi partibus observatur, infinitam profecto arguit intelligentiam, a qua admirandus iste rerum ordo et conceptus, et conditus sit, proindeque Dei existentiam ad oculum evincit.

VI. Innumerae aliae adferri possunt divinae existentiae demonstrationes, verum praedictae satis superque sunt, ut evidentissime omnibus pateat, nonnisi vanissima exultatione eos debaccari, qui hanc apud omnes nedum cultas, sed barbaras etiam nationes receptam veritatem, aliqua, vel probabili ratione, antevertisse gloriantur.

VII. Fidei Catholicae constanter adhaerendo, doctrinam tum Manichaeorum, qui praeter bonum, auctoremque boni Deum, malum alterum statuebant, malorum omnium effectorem; tum etiam Polytheorum, qui infinitam deorum multitudinem adorabant; necnon Tritheitarum, qui tres SS. Trinitatis Personas tres deos agnoscebant, toto pectore detestamur.

VIII. Nedum argumentis á revelatione deductis, sed gravissimis etiam rationum momentis unicum esse Deum demonstratur, ita ut plures esse, ne cogitando quidem, nisi imperite absurdeque, fingi queat.

DE DEI ATTRIBUTIS.

I. **C**ORPOREUM esse Deum, adeoque passionibus subiectum, et ex rebus constare diversis, ac reipsa distinctis, cuiusmodi sunt materia, et forma persuasum olim habuere Antropomorphitae, quorum profanam adeo, et sacrilegam ineptiam tum Catholica fides execratur, tum naturalis etiam ratio dissolvit.

II. Non defuere antiquis temporibus, neque hac aetate desunt sapientissimi viri, qui Tertullianum praedictae Antropomorphitarum sententiae adhaesisse opinantur; caeterum si rationes, et argumenta, quibus contrarium ab aliis non minoris notae auctoribus adseritur consulamus, omnibus animi viribus nobis est enitendum, ut ipsum ab hoc tanto errore excusemus.

III. Tanta est divinae naturae simplicitas, tantaque ejus á rerum conditarum statu diversitas, ut nulla omnino, quantumvis minima, sive metaphysica, sive logica sit compositio, in ipsa admitti posse videatur.

IV. Pulcherrimae, perfectissimae, praestantissimaeque substantiae, qualis omnium consensu, et iudicio divina est natura, pulcherrimas, admirabiles, ac infinitas omnino esse proprietates, et attributa facile manifestissimeque intelligimus; nam quoad eorum, quae sunt in Deo excellentiam attinet, ea talis cogitari debet, cui nec ulla, nec minima possit accessio fieri.

V. Creaturarum omnium perfectiones, tum *simpliciter simplices*, quae nullum scilicet adiunctum habent defectum, neque meliori opponuntur perfectioni, tum *simplices*, quae nihil ratione sui arguunt imperfecti, *formaliter* sive secundum propriam suam formam, ac naturam in divina essentia reperiri, minime est dubitandum.

VI. Perfectiones autem *secundum quid*, quae nimirum imperfecti aliquid secum important, et cum maiori perfectione simul esse nequeunt, eminenter, sive praestantiori, longeque nobiliori modo, quam in se sunt, Deus ipse complectitur; neque enim perfectissimus haberi posset, nisi quidquid boni, veri, ac pulchri creatis rebus inest, uberrime contineret.

VII. Nihil Deo novum, ac inusitatum, sive substantiae, loci, et temporis, sive quantitatis, qualitatis, et operationis ratione, supervenire potest, sed summam eius, qua ne cogitari quidem maior queat, confiteri oportet immutabilitatem, nisi divinae sacrorum librorum auctoritati refragari, aut infinitam perfectionem de medio tollere velimus.

VIII. Impossibile est intellectum creatum divinam comprehendere essentiam, vel tantum cognoscere, quantum Deus ipse cognoscit, et cognoscibilis est; adeo ut nihil omnino sit, quod eius aciem subterfugiat, aut non eadem perspicuitate contempletur.

IX. Cum in hac vita Deus non nisi *per speculum*, et *in aenigmate* videatur, nullo nomine perfecte, et ut est in se exprimi potest; unde licet plura vocabula divinam significant essentiam, aut attributa, prout á nobis percipiuntur, nulla tamen divinae naturae ideam, prout est in se, excitare valent.

DE VISIONE DEI.

- I. **N**ULLA inter Deum videndum, et oculos corporeos nequidem inchoata existit proportio, qua vel naturali, vel supernaturali eorum vi ad intuitivam Dei visionem possint elevari.
- II. Non alia ratione Deus in Scripturis *invisibilis, lucemque inhabitare inaccessibilem* dicitur, nisi quia nullus creatus intellectus propriis animi, ac mentis viribus, ipsum perspicue, et ut est in se valet intueri.
- III. Mens humana ita suam per lumen gloriae imbecillitatem, ipsiusque caliginem longe, lateque superat, ut Dei naturam facie ad faciem sicuti est in se videre possit. In malam itaque viam abeant, qui nullis vel levissimis suffulti rationibus, contrarium adstruere pertentant.
- IV. S. Chrisostomum intuitivae visionis existentiam, et possibilitatem nusquam denegasse, ipsaque Vazquesii adversus Chrisostomum hac in parte allata argumenta merum, putidumque esse figmentum pro aris, et focus tuemur.
- V. Num intuitiva Dei visio aliquibus in hac vita concessa fuerit, inter Theologos non levis est disceptatio. Nobis illorum aridet opinio, qui privilegium hoc nemini, nec Moysi, nec D. Paulo concessum fuisse existimant.
- VI. Millenarium Christi regnum á Cerintho excogitatum, in quo Sancti post generalem corporum resurrectionem, vel carnalibus oblectamentis, atque impurissimis voluptatibus, vel spiritualibus, ut vult Papias, fruuntur deliciis, inter aniles fabulas, et deliria est recensendum.
- VII. Iustorum animabus, quae temporales pro peccatis debitas poenas purgatorii igne iam expiarunt, intuitiva Dei visio ad diem usque iudicii minime differtur, sed ad claram divinae essentiae visionem statim admittuntur, et optatissimam adipiscuntur beatitudinem.
- VIII. Ut mens per se imbecilla, nec ad Deum intuendum satis virium habens, ad tantam contemplationem adsurgere possit, vis quaedam naturali superior, sive auxilium animae permanentiter inhaerens, quod *lumen gloriae* appellari consuevit, iuxta viam Dei ordinariam requiritur.
- IX. Pro certo habendum est Beatos omnes, illud in Deo, quod idem est cum ipso, nec ab eius natura, et substantia reipsa discernitur, clare, ac distincte contueri: essentiam autem sine attributis, et unam Personam sine alia, neque de potentia Dei absoluta videri posse, arbitramur.
- X. Res omnes tum praeteritas, tum praesentes, tum futuras diem praesertim iudicii Beati minime noscunt; nonnullas tamen, quae propius ad eos sive status, sive officii, sive dignitatis ratione spectant, quin et terram etiam, coelum, ac plurima, quae ad universi ornatum, et integritatem pertinent, proculdubio intuentur.
- XI. Beatorum spirituum cognitio ad ea omnia, quae eminenter in Deo, eiusque vi, ac potentia continentur nullatenus se extendit; licet pro meritis, et felicitatis suae modulo alii plura, alii pauciora percipiant.
- XII. Duplicem rerum creaturarum, et mere possibilium cognitionem Beatissimis omnibus, cum Magno Parente Augustino adsignamus; alteram ves-
- D
- per-



pertinam dictam, qua res illas per species infusas ab ipsa divinae essentiae visione veluti productas in sese contuentur; matutinam alteram, qua res eadem non iam in se, sed in ipsomet Verbo tanquam efficienti, aut exemplari illarum causa considerantur.

XIII. Unicuique iustorum, pro meritorum, ac laborum diversitate, consentaneam felicitatis aeternae mercedem esse persolvendam, innumera Scripturae, et SS. Patrum testimonia aperte, atque sine ulla ambiguitate persuadent. Fallitur ergo Iovinianus, dum Beatis omnibus aequalem Dei visionem tribuit.

XIV. Maior vel minor intelligentiae vis, ac mentis acies ad intuitivae visionis varietatem, et inaequalem perfectionem nihil omnino conferre videtur; sed unica, et totalis illius inaequalitatis causa á luminis gloriae diversitate repeti debet.

DE VOLUNTATE DEI.

I. **D**ARI in Deo voluntatem proprie dictam ex divinis litteris, et naturali ratione ita manifestum, ac evidens est, ut qui illud in dubium revocaverit, non minus impius, quam ineptus habendus sit.

II. Licet unica, et simplicissima sit Dei voluntas, qua Deus unico actu á natura indistincto vult, quaecumque vult; ex obiectorum tamen, et effectuum diversitate multipliciter á Theologis dividitur: alia dicitur beneplaciti, alia signi, alia antecedens, alia consequens cet.

III. Certum omnino est solam divinam bonitatem primarium esse, et adaequatum voluntatis Dei obiectum; ipsa siquidem unicum est bonum per se subsistens, et per se diligendum: creaturarum autem bonitatem secundarium dumtaxat, et terminativum, cum caetera omnia á Deo distincta, non nisi participatione quadam, ac dependentia recta sint, et dici possint.

IV. Deus cuius summa perfectio nullo fine, nullove termino circumscripta, in infinitum porrigitur, se ipsum purissimum veluti, á quo omnia profluunt, ac proficiscuntur bona, perfecte cognoscens fontem, non quidem coactionis aut violentiae, sed voluntaria, et naturalis inclinationis necessitate effusissime diligit, et amat.

V. Creaturas productas, aut producendas, vero, et efficaci benevolentiae amore propter propriam sui ipsius bonitatem, Deus absdubio prosequitur; eas autem, quae mere possibles sunt, quibusque nihil sempiterna sua voluntate conferre decrevit, amore tantum complacentiae, et plane inefficaci.

VI. Mala naturae, ac poenae, monstra nempe, supplicia, morbos, mortemque ipsam non vult Deus per se et directe, bene vero indirecte, et per accidens, quatenus iustitiae scilicet tuentur ordinem, firmant universi regimen, suamque gloriam apertissime demonstrant.

VII. Malum omne, quod cum vitio, et turpitudine coniunctum est, atque peccatum dicitur, non aliam efficientem habet causam, quam propriam cuiusque voluntatem liberam, nec in Deum tanquam auctorem, et impulsorem, (etiamsi illud permittat,) referri potest. Contrarium Calvini

dog-

dogma, vel dictu nefarium, et abominandum esse sentiunt omnes, in quibus communis sensus vestigium aliquod superest.

VIII. Deum optimum, maximum, ac beneficentissimum, cuius misericordia superexaltat iudicium, et qui impii mortem, id est damnationem, et interitum non vult, omnes omnino homines, nullo prorsus excepto, etiam quatenus communi originalis peccati labe inquinati considerantur, vera, propria, atque sincera beneplaciti voluntate velle salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, absque ulla haesitatione adserendum videtur.

IX. Pro solis praedestinatis Christum Dominum mortuum esse, aut sanguinem fudisse, et pro ipsis solis aeternum Patrem orasse, Ianseniana est doctrina divinis litteris contraria, Patrum doctrinis repugnans, Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano adversa, atque ut impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica á Summis Pontificibus damnata.

X. Christum universi humani generis Redemptorem, et Reparatorem esse, pro omnibus, et singulis pretiosum sanguinem obtulisse, preces fudisse, remedia parasse, ut nos á peccato daemonisque captivitate liberaret, licet non omnes remissionem accipiant, nec á morte eripiantur aeterna, Apostolico constat testimonio, necnon luculentissimis Conciliorum oraculis, et perpetua Patrum traditione comprobatur.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

I. **P** RIMUM, ac praecipuum fidei nostrae caput, totiusque Religionis Christianae fundamentum, est unius summi Dei in essentia unitas, et in Personis differentia. In eo siquidem positum est augustissimum SS. Trinitatis mysterium, quod tres in una natura divina inter se aequales sint Personae, non cogitatione, et nomine tenus, pro variis scilicet, quibus unica in Deo Persona fungitur officiis, et effectibus quos operatur, ut Sabelliani blasphemarunt, sed realiter á se invicem distinctae, Pater nimirum, Filius, et Spiritus Sanctus.

II. Quamvis in veteri Testamento non tam aperta Trinitatis Personarum, quam in novo fiat mentio, multis tamen in locis quaedam ipsius deprehenduntur vestigia, nec desunt testimonia, ex quibus docti praesertim, ac exculi homines, plures esse in Deo Personas, merito colligere poterant.

III. Spiritus Sanctus non est accidens quoddam, vel virtus, per quam Deus fideles suos sanctificat, eosque supernaturali potestate, ac sapientia exornat, imo per ipsum potius peccatorum remissio, charitas, regeneratio, dona omnia, et charismata in cordibus nostris diffunduntur; ac proinde vera est Persona per se subsistens, supernaturalis cuiusque virtutis effectrix, ac dispensatrix.

IV. Filium Dei verum Deum, Patri aequalem, et coaeternum non esse, neque de essentia, vel substantia Patris genitum, sed solo voluntatis arbitrio, antequam coelum, et terra ex nihilo creata essent, productum, et consequenter creaturam esse, caeteris licet excellentiorem, impia fuit Arii doctrina, cui statim ab universo Christiano orbe merito reclamatum est. Nobis ergo firma fide tenendum Verbum, verum Deum esse, Patri in omnibus aequalem, atque consubstantialem.

Pa-

V. Patres qui Nicaenam praecessere Synodum, ab Ariana perfidia maxime fuerunt alieni. Nonnullis quidem, quae á communi iam usu abhorrent vocabulis utebantur; in praecipuis tamen, et quae ad dogmatis substantiam spectant, ut concordēs ad invicem sunt, ita nobiscum congruunt.

VI. Nullius sunt ponderis, quae de Scripturis ad oppugnandam Spiritus Sancti divinitatem Macedoniani prompserunt argumenta; imo ex ipsis, nomen, proprietates, et attributa, quae summo tantum Deo competunt, Spiritui Sancto tribui, perfectissimamque illum cum Patre, et Filio operationum, atque substantiae communionem habere, certissime evincitur.

VII. SS. Trinitatis mysterium fide quidem humili credendum est; eius autem existentiam nullus, naturalis ingenii acie, percipere valet, neque, supposita etiam ipsius revelatione, humanis illud argumentis, et positivis rationibus reddere manifestum.

VIII. Laudandi tamen sunt Theologi, qui supposita huius mysterii fide nonnullis naturalibus rationibus illud probabile suadere, et variis exemplis, similitudinibus, congruentiis ex rebus creatis desumptis, licet maxime imperfectis, aliquantulum illustrare conantur.

IX. Veram in Deo metaphysicam, immanentem atque substantialem esse processionem, qua una nempe Persona ab alia absque ulla prorsus mutatione, dependentia, et naturae, atque temporis diversitate procedit, revelatione compertum habemus.

X. Divinae essentiae foecunditatem non una exhauriri processione, sed duas in Deo intrinsecas emanationes, nec plures nec pauciores admittendas esse, generationem scilicet Filii á Patre, et Spiritus Sancti originem ab utroque, totis viribus suscipimus defendendum.

XI. Inter divinas processiones hoc discrimen statuendum est, quod Verbi processio vera, et proprie dicta sit generatio, minime vero processio Spiritus Sancti, qui nunquam in Scripturis Filius, vel genitus nuncupatur.

XII. Hic haeret fides; Scholae vero Theologi ulterius progrediuntur, et varias huius discriminis adferunt rationes. Nos autem de rebus adeo obscuris, et á captu nostro longe semotis, nihil omnino pronuntiare melius iudicamus, dicente D. Augustino lib. 2 contra Maximin. cap. 14 *Distinguere inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

XIII. Ne á longaevo tamen Scholarum more recedamus, nec bellum omnino Scholasticis quaestionibus indixisse videamur, quam Angelicus Doctor tradit, tanquam verosimilem propugnemus rationem; quod nimirum Verbum potius dicatur, et sit genitum, quam Spiritus Sanctus, quia procedit per intellectum, qui sumptus praecise, quatenus est intellectus perfectissimus vim habet gignendi terminum similem in natura; é contra Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, estque terminus amoris divini, cuius quidem processionis vi nequaquam suo principio est similis in natura.

XIV. Ex hoc facile deducitur, neque divinam essentiam, neque solas originis relationes esse divinarum processionum principium, quod á Scholasticis *quo proximum* vocatur, sed intellectum, et voluntatem, prout Paternitatis, et Spirationis activae relationes adiunctas habent.

XV. Probabile est Verbum divinum tum ex essentiae, et attributorum absolutorum, tum ex trium etiam Personarum, et creaturarum possibilitate cognitione necessario, et essentialiter procedere.

Crea-

XVI. Creaturarum in aliqua temporis differentia existentium cognitio concomitanter tantum, et quasi consequenter, non vero necessario, et essentialiter ad Verbi productionem concurrat.

XVII. Cum Pater, et Filius eandem habeant spirandi virtutem, unum, non duo sunt Spiritus Sancti principium, quemadmodum tres simul Personae, quibus eadem est omnipotentia, et virtus creatrix, unum, non tria sunt creaturarum principium. Contra Graecorum itaque errorem, Spiritum Sanctum á Filio non minus, quam á Patre, vere, atque interne procedere confitemur.

XVIII. Immerito Graeci de particulae *Filioque* Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano additione conqueruntur; ea enim est, ac semper fuit Ecclesiae auctoritas, vigilantia, et consuetudo, ut novis erroribus emergentibus, aliquam fidei professioni particulam Scripturarum oraculis, et Patrum traditionibus omnino consonam, ad dogma Catholicum clarius explanandum, apponat.

XIX. Quatuor in divinis originis relationes nec plures, nec pauciores reperiuntur; relatio scilicet Generantis ad Genitum, Geniti ad Generantem, Principii Spirantis ad Spiratum, et Spirati ad Principium Spirans, sive, quod idem est, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva.

XX. Relationes Patris ad Filium, et Filii ad Patrem, Patris simulque Filii ad Spiritum, et Spiritus ad utrumque simul, independenter á qualibet mentis operatione in Deo existunt, subsistentes sunt, et reales, non mera animi nostri figmenta.

XXI. Nemo certe inficias ire poterit, inter originis relationes, quae sibi mutuo opponuntur, Paternitatem scilicet, Filiationem, et Spirationem passivam verum, et reale interesse discrimen; spirationem vero activam, cum neque Paternitati, neque Filiationi relative opponatur, nullatenus, nisi cogitatione nostra, ab ipsis distinguendam esse.

XXII. Cum solae igitur originis relationes propriae sint, et singulares, non toti Trinitati communes, non nisi ipsis Personae divinae constitui, et á se invicem distingui, intelliguntur.

XXIII. Personae divinae unam eandemque numero naturam indivisibilem, impartibilemque habent, ratione cuius ita singulae in aliis, velut in Patre Filius, in Filio Pater, et in utroque Spiritus Sanctus, habitant, ut mutuo in se existant, et ubi est una, ibi etiam altera necessario sit.

XXIV. Divinarum Personarum missio nihil aliud est, quam unius ab alia processio, cum habitudine ad novum existendi modum in creaturis. Solum itaque Filium á Patre, et solum Spiritum Sanctum á Patre, et Filio mitti posse, luce meridiana clarius est.

DE VERBI DIVINI INCARNATIONE.

I. **O**MNIA, quae Gentiles, et Sociniani contra Incarnationis Dominicae possibilitatem, sive ex parte Verbi adsumptis, sive ex parte naturae adsumptae, sive ex parte unionis utriusque congerunt argumenta, altissimum hoc, sacratissimumque mysterium minime impossibile demonstrant.

E

Ver-

II. Verbum Dei carnem fieri potuisse, petitis á revelatione argumentis evincere, imo vanas Ethnicorum, atque Haereticorum argutias negativis momentis, iis scilicet, quibus suppositae repugnantiae explicantur, refellere, nullius certe negotii est; obviis vero, humanisque ratiocinationibus nullo pacto possumus demonstrare.

III. Ad eximiam divinae maiestatis gloriam, quae in minimis quibusque Dei operibus apparet, commendandam, Verbi divini Incarnatio, ut pote omnium eius operum facile princeps, fuit summe conveniens; per ipsam enim praecipua Dei attributa, omnipotentia scilicet, sapientia, bonitas, misericordia, et iustitia hominibus manifestantur.

IV. Ex arctissima humanitatis cum Deo coniunctione, nedum innumera in totam naturam humanam bona, et ornamenta defluerunt, verum omnia etiam, quae in coelis, et in terris sunt, simul cum homine per Incarnationem decorata sunt, atque nobilitata. Fuit ergo Incarnatio tum homini redimendo, tum toti universo maxime conveniens.

V. Non conveniebat, ut Deus homini statim post lapsum mederetur, neque congruum fuisset humani generis redemptionem ad finem usque mundi differre, sed convenienter Incarnatio in plenitudine temporis fuit adimpleta.

VI. Poterat Deus ex infinita sua iustitia hominem perditum in peccato, et damnationis statu relinquere; pro sua tamen misericordia voluit eum á peccato liberare: poterat per omnipotentem etiam suam virtutem peccatum gratis, et absque ulla satisfactione condonare; ad suae tamen iustitiae ostensionem noluit ipsum sine condigna satisfactione remittere.

VII. Puri hominis satisfactio, ut pote finita, nunquam divinae offensae gravitatem potest adaequare; ac proinde nulla pura creatura, quantalibet gratia sit ornata, potest pro suo, vel alieno peccato, nedum mortali, sed etiam veniali, condignam et perfectam divinae iustitiae exhibere satisfactionem.

VIII. In praesenti igitur providentia, seu ex hypothesi, quod Deus perfectam, sive condignam pro expiandis hominum peccatis satisfactionem exigere voluerit, Verbi divini Incarnatio fuit absolute necessaria.

IX. Sceptrum, quod Iacob Gen. 49 praedicit non defecturum in Iuda usque ad Messiae adventum, non solum de tribu Iuda, sed de tota etiam gente Iudaeorum, qui omni imperio, omnique iurisdictione exuti, ac per universum orbem dispersi, miserrima opprimuntur servitute, iamdiu ablatum est. Magnum igitur in vaticinio Iacob adversus perfidos, et contumaces Iudaeos, Christianae Religionis praesidium Providentia divina constituit.

X. Perspicuum est septuaginta hebdomades, in quarum ultima Messias occidendus praedicitur Daniel. 9 iam multis abhinc saeculis elapsas esse, suumque habuisse eventum, insigniora, quibus aqud Danielem Messiae adventus designatur, indicia, Religionis scilicet Iudaicae occasum, urbis, et Sanctuarii demolitionem, veterum Sacrificiorum, ac caeremoniarum interitum, quae quidem post definitum illud annorum spatium fieri oportuit, ut revera factum cernimus. Ex Danielis ergo Prophetia Messiam advenisse efficaciter probatur.

XI. Aggaeus cap. 2, et Malachias cap. 3 Messiam, stante adhuc
Tem-

Templo á Zorobabele constructo, venturum promittunt. Cum illud ergo Templum funditus dirutum, ac combustum sit, Messiae adventus iam praeteritus evidentissime demonstratur.

XII. Messias in lege promissus, tot saeculorum decursu á Patriarchis desideratus, innumeris Prophetarum oraculis praedictus, atque legis Moisaicae Sacrificiis, caeremoniisque adumbratus, alius non est, quam Iesus Nazarenus.

XIII. *Verbum caro factum est* ad hominem á peccato, et damnatione aeterna liberandum, non vero eo dumtaxat fine, ut nobis exemplum esset, Doctor, et Legislator, atque ut sua nos communione exornaret, et ad consortium divinitatis eveheret.

XIV. Quidquid contra effutiant Sabelliani, sola Filii Persona humanam adsumpsit naturam, nullaque ratione nativitas, passio, mors, resurrectio, et omnia illa, quae ad unam Filii Personam pertinent, aeterno Patri, aut Spiritui Sancto possunt adsignari.

XV. Corpus, quod Verbum adsumpsit, fuisse verum, solidum, nostroque consubstantiale, non apparens, et phantasticum, ipsemet Christus saepissime testatus est: quare merito deceptionis, et mendacii insimularetur, si non nisi specie tenus humanum corpus gestasset.

XVI. Christi corpus non fuit é coelo delatum, coelestique elaboratum materia, atque per Virginis uterum, tanquam per canalem, transmissum, sed terrenum, ex semine David, et ex purissima B. M. substantia per Spiritus Sancti virtutem formatum.

XVII. Perperam, et impie Arius, eiusque discipuli, ut omnes naturae humanae, quae ex affectionibus, et perpersionibus ortae sunt, mutationes divinitati ipsi tribuerent, indeque naturam Filii Paternae dissimilem esse, nec ab hac, ut pote immutabili, mutabilem illam fuisse genitam colligerent, Christum Dominum anima humana caruisse docuerunt; Verbum enim veram, nostraeque similem adsumpsisse animam, haud pauca Scripturae testimonia apertissime testantur.

XVIII. Immerito Christus perfectus homo praedicaretur, si ratione, ac mente ipsius anima praedita non esset, nec recte de Verbi divinitate sentiunt, qui rationalis ipsum animae vices gessisse, atque metus, tristitiae, et aliarum huius generis passionum principium fuisse opinantur.

XIX. Unamquamque in Christo naturam propria voluntate, propriaque gaudere operatione, ideoque duplicem in ipso voluntatem esse, divinam scilicet, et humanam, atque duo operationum genera, alias divinitatis, alias humanitatis proprias, dogma Catholicum est contra absurdam Monothelitarum haeresim, quae humanam Christi naturam motionis, et actionis omnis expertem fingebat, á Synodo VI definitum.

XX. Verbum divinum mortale, atque corruptibile induisse corpus, veris scilicet sensibilibusque, voluntariis licet, ac deliberatis, obnoxium doloribus, iisdemque, quae omnibus Adae posteris communes sunt miseriis, non in proprii tamen, sed alieni dumtaxat peccati poenam, subiectum, nemini dubium esse debet.

XXI. Neque in hac re quidquam fidei Catholicae contrarium adfirmavit D. Hilarius; ex scopo enim, apertisque eiusdem sententiis veram Redemptori nostro carnem, veras passiones, verosque tribuisse dolores satis superque apparet.

Chris-

XXII. Christum Dominum, nedum qua Deus, verum etiam qua homo est, nullam, vel levissimam peccati maculam in se admisisse, in dubium verti non potest: unde non minus falso, quam imperite, atque impie tanquam desperationis, et impatientiae reus á Calvino, aliisque huius furfuris Haeticis traducitur.

XXIII. Tantus in Christo sanctitatis erat splendor, tantaque voluntatis eius humanae rectitudo, ut in bono immobilis, et immutabilis haereret, nec ab omni solum peccati labe immunis, sed ab ipsa quoque peccandi potestate esset alienus.

XXIV. Salvatoris nostri impeccabilitatem ex hypostatica naturae humanae cum Verbo divino coniunctione, non vero ex intuitiva potissimum, qua beatissima eius anima fruebatur, divinitatis contemplatione oriri, probabilius existimamus.

XXV. Humanitas Christi, quae ad divinitatis, tanquam eius moderatricis nutum regebatur, inordinatos nullos appetitus sensitivi percepit motus, et licet per suggestionem á daemone fuerit tentata, sensuum tamen illecebris, noxiaque cupiditate, sive peccati fomite percilli nullatenus potuit.

XXVI. Passiones omnes naturales, et vitii expertes, ut fames, sitis, gaudium, aliaeque id genus appetitus sensitivi motiones revera in Christo fuerunt: hoc tamen maximum inter ipsum caeterosque homines discrimen est adsignandum, quod in his praeter voluntatem, imo interdum ea reluctantem, passiones illae subeant, in Christo autem voluntarie prorsus, nec nisi permittente, vel imperante voluntate coortae sunt.

XXVII. Humana Christi natura, nullo, vel aliquantulo temporis spatio, antequam in eam Dei Filius illaberetur, eandemque sibi coadunaret, separata existit, sed eodem momento, quo in Virginis Matris utero fuit concepta, ad divinae communionem hypostasis adsumpta pervenit.

XXVIII. Iure meritoque ab Ephesina Synodo Oecumenica damnatus fuit Nestorii error, unionem Verbi cum humanitate moralem tantum, et accidentalem, non physicam, et hypostaticam esse adseverantis, ita ut Verbum divinum non aliter in Christo homine, quam in Templo habitet, proindeque non unica, sed duae sint Personae, divina scilicet inhabitans, et humana inhabitata. Quapropter nefandam hanc haeresim ex corde detestantes, unicum dumtaxat, eamque divinam esse in Christo Personam cum Ecclesia Catholica profiteamur.

XXIX. Euthyches cum veritatem de unica in Christo Persona contra Nestorium propugnasset, in oppositum lapsus est errorem, unicum dumtaxat in Christo naturam dogmatizans. Omnibus autem Catholicis sententia est constans, et inviolabilis, duas in Christo inter se distinctas, integras, et perfectas esse naturas, quae sine ulla sui confusione, ac detrimento, in unius hypostasis, Personaeque contextum conveniunt.

XXX. Admittenda est in Christo vera, et realis idiomatum communicatio in *concreto*, qua Deo adscribuntur, deque eo praedicantur, quae, ut pote imbecillae soli congruentia creaturae, longe ab eo sunt alienissima; et vicissim, quae magnifica, caelestia, splendida, atque unius sunt propria divinitatis, Christo homini tribuuntur.

XXXI. Cum nullum divinitatis attributum in humanam fuerit Christi naturam transfusum, nullo pacto duae ipsius naturae earumque proprie-

ta-

tates de se invicem in abstracto possunt praedicari : ideoque falsae, et haereticæ sunt istae propositiones : *Humanitas Christi est ubique; immensa; omnipotens* cet.

XXXII. Christus, in quantum homo, non alia ratione tum ad filiationem divinam, tum ad visionem beatificam, vere est; et dicitur praedestinatus, nisi quia ab aeterno ad tantam, sine ullis praecedentibus meritis, electus est gratiam, et dignitatem, ut Filius Dei esset, atque praeclearissima, quae Verbi divini eminentiam, et Mediatoris officium sequuntur, ornamenta haberet.

XXXIII. Nequit Christus, etiam secundum humanitatem, adoptivus Dei Filius censeretur, atque appellari : qua in re Felix Urgelitanus Episcopus, et Elipandus Archiepiscopus Toletanus, Christum proprium, naturalem, et unigenitum Dei Filium negantes, iuste á Concilio Francofordiensi damnati sunt.

XXXIV. Christus propter adsumptam quidem naturam revera Deo factus est subiectus, eique tanquam subditus obtemperare, atque obsequium exhibere debebat, qua ratione late, et improprie servum dici posse non negamus : cum sui autem iuris sit, et ad Patris bona, atque hereditatem naturaliter ius habeat, nullo pacto talis proprie, et stricte est nominandus.

DE CHRISTI MERITO, ET SATISFACTIONE.

I. CHRISTUS verum, et rigorosum pro nobis moriendi praeceptum á Patre accepit; omnis tamen expers necessitatis, plenissima mortuus fuit libertate, nec mortis solum imperatae circumstantias, crucis nempe ignominiam, locum, tempus, cruciatus cet, sed mortem ipsam in se consideratam subeundi, vel vitandi habuit potestatem.

II. Ad conciliandam Christi circa mortem praeceptam cum eiusdem impeccabilitate libertatem, mirum in quot, quamque varias viri docti abiere sententias; ex quibus, quantum, in hac praesertim difficillima quaestione, ingenii nostri tenuitas adsequitur, ea nobis, caeteris omnibus in sua relictis probabilitate, seligenda videtur, quae docet, penes Christum fuisse dispensationem á Patre petere, et obtinere, quam volens, ac lubens non petivit.

III. Conditiones omnes ad meritum de condigno requisitae, non sunt in Christo desideratae; non arbitrii libertas, non gratiae ornamentum, non Dei promissio, atque ordinatio: et consequenter vera, et proprie dicta meriti ratio, non est Christi actionibus deneganda.

IV. Christus neque post suam mortem, neque per suam meruit resurrectionem, sed á primo tantum suae conceptionis instanti, quando nimirum se Deo Patri hostiam: et oblationem pro peccato obtulit, usque ad extremum vitae suae spiritum.

V. Per divinitatis actus, ut pote subiectionis incapaces, Christum nec meruisse, nec absolute mereri potuisse, bene vero per omnes humanae voluntatis actiones liberas, extra controversiam positum est.

VI. Sibi Christus per obedientiam corporis gloriam, nominis exal-



exaltationem, cultum populorum, Ecclesiae suae firmitatem, et incrementum promeritus est; hominibus autem, peccatorum remissionem, omniaque gratiarum munera, quae iustificationem praecedunt, et subsequuntur; Angelis vero sanctis nonnullas quidem illustrationes, et gaudia, aliaque accidentalia dona, non tamen santificantem gratiam, finalem perseverantiam, et gloriam essentialem.

VII. Poenae, quas Christus passus est, nostrae fuerunt redemptionis pretium, quo nostrorum scilicet peccatorum poenas luens, et super lignum omnium nostrum perferens iniquitates, se ipsum Deo Patri expiationis sacrificium pro nobis obtulit. Haec est de Christi satisfactione Catholicorum sententia, quam frustra Sociniani, Christum vere, et proprie non satisfacisse autumantes, funditus evertere conati sunt.

VIII. Communiori Theologorum adsentimur opinioni, qui Christi satisfactionem ab intrinseco equivalentem, imo et superabundantem fuisse, contra Doctoris Subtilis discipulos putant; quamquam illorum minime probemus vitium, qui in oppositas Catholicorum sententias plus aequo invehentes, Scotisticam Scholam erroris, ac temeritatis calumniose reprehendere non dubitant.

IX. Si infinita Personae dignitas, cuius erat caro, quae in ligno pependit, sanguis, qui effusus est, et spiritus á corpore divulsus, attendatur, facile intelligitur quomodo bona, ex quibus Christus satisfacit, illi erant propria, et sub speciali ipsius dominio constituta.

X. Id etiam ex eo, quod omnes tam humanitatis, quam divinitatis operationes ad eandem pertineant Personam, aperte sequitur, actiones eas, per quas Christus satisfacit, neque gratitudinis, neque Religionis, neque quocumque alio titulo aeterno Patri fuisse debitas.

XI. Nihil obstat, quominus Verbum divinum, ut in servi forma existens, sibi ipsi, ut existens in forma Dei, satisfacisse dicatur; quare licet unica in Christo sit Persona, eius tamen satisfactio, diversae naturae, distinctique ratione domini, vere fuit *ad alterum*.

XII. Ergo Christi satisfactio ita ex vera, stricta, et rigorosa fuit iustitia, ut aeternus Pater non potuerit eam non acceptare.

DE CHRISTI, ET SANCTORUM MEDIATIONE.

I. **F**ALSUM prorsus, et Christianis auribus infensum est, Christum Dominum secundum divinam naturam Mediatoris officio perfunctum fuisse; quum sententia Catholica teneat, Christum utique ut Deum et hominem Mediatorem esse, sed ex humana tantum natura, velut á *principio quo*, redemptionis opera prodiisse, quae á Persona Verbi pretium, valorem, ac substantialem dignitatem hauriebant.

II. Sanctos una cum Christo regnantes, secundarios apud Deum Intercessores esse, ac Mediatore, per quos ad primarium, sive principalem patet accessus, atque tum eos pro hominibus divinae maiestati supplicare, tum ad id praestandum votis illorum et orationibus adduci, nemini fas est ambigere.

III. Citra superstitionis ergo, aut impietatis, aut cuiuscumque criminis

nis notam, quam Catholicis inurere solent Novatores, imo pie, utiliter, et religiose Sanctorum preces, et auxilium, ut pro ea, qua apud Deum valent gratia, nobis omnia, quibus indigemus, per Christi merita impetrent beneficia, imploramus.

DE SANCTORUM, ET IMAGINUM CULTU.

I. **C**HRIستي humanitas, non quidem in se nude considerata, et per intellectum á Verbo praecisa, sed quatenus ipsi in Personae unitatem est coniuncta, uno, eodemque, quo Verbum divinum, patriae cultu absoluto est adoranda.

II. Tantum abest, ut Catholica de Sanctorum cultu doctrina, novum, et ementitum sit in Ecclesia dogma, quin potius, vel á primis ipsius incunabulis, constans, ac perpetuus ille mos fuerit, Beatissimae Virgini, caeterisque Sanctis religiosum aliquem cultum exhibere. Quis autem non videt, superbissimae insaniae esse, id arguere, quod Christi Sponsa semper, et ubique agere consuevit?

III. Sancti propter supernaturalem, qua pollent, gratiae, et gloriae perfectionem, atque excellentiam, cultu duliae sunt colendi; verum Beatissima Virgo, cum ad amplissimam Matris Dei dignitatem, et munus omnium, quae cogitari possunt, praestantissimum sit evecta, hyperduliae, seu maiori, quam caeteri Sancti, cultu est veneranda.

IV. Christi, et Sanctorum imagines in Templis honorifice collocatas, atque fidelium devotioni expositas fuisse, testantur veteres Patres paene omnes, earumque cultum, tanquam pium, licitum, et religiosum amplectendum esse, nemo Catholicus dubitat: unde Maiorum mores, et instituta condemnant, qui cum Iconomachis omnem sacris imaginibus venerationem adimere moliuntur.

V. *Honos, qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant*, inquit Concilium Tridentinum. Eodem ergo cum suis prototypis cultu, respectivo tamen, Christi, eiusque Crucis, Sanctissimae Virginis, Sanctorumque imagines honorandas esse, cum gravissimis Theologis arbitramur.

VI. Licet destructa Crucis figura, Christi crucifixi imago non amplius nobis repraesentetur, cum idem tamen Crucis lignum, cui Christus fuit affixus, corporis eius contactu sanctificatum, sacratissimoque sanguine fuerit perfusum, atque ipsissimum sit redemptionis nostrae instrumentum, in partes etiam minutissimas divisum, summo in honore est habendum, supremoque patriae cultu relativo adorandum.

VII. Sanctorum corpora, ossa, cineres, et reliquias religiosissime colendas esse, Christianae Ecclesiae usu, et professione sancitum videmus; ab ipsis enim Apostolorum temporibus, pretiosas eorumdem exuvias incredibili exceptit pietate, ipsisque debitum per totum orbem honorem, et reverentiam impendi curavit.

DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA.

I. **B**LASPHEMAVIT certe Nestorius, Beatissimam Virginem Mariam non *Theotocon*, id est, Deiparam, sed *Christotocon*, id est, Christiparam appellandam esse contendens; quum eadem Beatissima Virgo vere, et proprie Mater Dei sit, ac dici debeat.

II. Nullus est hodie ab omni Religionis sensu adeo alienus, qui non purissimam Dei Genitricem ab omni viri consortio, et coniugii usu segregatam fuisse, illibatamque integerrimae virginitatis florem, tum ante partum, tum in partu, tum post partum servasse, pleno ore non confiteatur.

III. Certo, ac firmiter tenendum est, Sanctissimam Dei Genitricem non solum ab eo tempore, quo Spiritus Sanctus supervenit in eam, et virtus Altissimi obumbravit illi, cum aeternum scilicet Dei Verbum concepit, sed per totum etiam vitae suae cursum ab omni vel levissimi peccati inquinamento puram fuisse, atque immunem.

DE GRATIA.

I. **C**ONTRA impiam Pelagianorum haeresim statuimus, ad omne opus salutare, id est ad vitam conducens aeternam, peragendum, interiorem Iesu-Christi praevenientem gratiam, quae non lucem tantum, quid faciendum sit ostendens, menti nostrae praeferat, sed ipsam etiam voluntatem attingat, atque tum velle, tum perficere in nobis operetur, in praesenti naturae lapsae statu prorsus necessariam esse.

II. Initium conversionis, ac iustificationis nostrae, aut cuiuscumque operis ad veram pietatem pertinentis, Christianam scilicet fidem, vel ipsum credulitatis affectum, bonamque salutis aeternae obtinendae voluntatem, non nisi á Dei per Iesum-Christum gratia nos habere, certo certius est. Errarunt ergo Semipelagiani dicentes: fidei, et iustitiae exordium ex nobis esse, non divinae miserationis donum.

III. Per naturalia opera nemo se ad gratiam praeparare, ac disponere potest, neque lege, aut promissione aliqua, vel pacto, facienti quod est in se solis naturae viribus elargitur Deus supernaturalium gratiarum auxilia.

IV. Diuturna iustorum, in Dei mandatorum observatione, tentationum victoria, ac virtutum omnium exercitio, perseverantia, mortisque cum sanctitate conjunctio, magnum est, et specialissimum, in praesenti statu, divinae gratiae beneficium, quod Deus ex mero suo beneplacito quibus vult impertitur.

V. Multa quidem ab infidelibus, et impiis fiunt, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; neque enim ad aliquos naturalis ordinis actus, moraliter honestos, et undequaque bonos, ratione tum obiecti, sive officii, tum finis proximi, tam finis ultimi eliciendos, vel habituali gratia, vel

fide

fide iustificante, vel actuali etiam supernae illustrationis auxilio homo lapsus indigere videtur.

VI. Ad omnia legis naturalis praecepta, etiam quoad operis substantiam, adimplenda, nullo modo, in praesenti naturae lapsae statu, liberi arbitrii vires sufficiunt; sed ad hoc ut omnia, quae contra legem naturalem committi possunt, vitemus peccata, Dei adiutorium requiritur.

VII. Amor Dei, quatenus naturae conditor, et naturalium donorum est auctor, sive benevolentiae sit, quo Deus propter infinitam suam diligitur bonitatem, sive concupiscentiae, quo in ipsum tanquam nobis bonum, et ultimum finem nostrum tendimus, imperfectus tamen, et nondum creatas res summo postponens bono, vitiatae per peccatum naturae vires, minime excedit.

VIII. Non possumus tamen absque gratia, primum, et maximum legis mandatum, Deum, ut naturae etiam auctorem, ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute diligendo, cum proposito ei in omnibus placendi, caeterarumque rerum, ac vitae dispendium potius patiendi, quam ipsum offendere, perfecte adimplere.

IX. Potest homo absque gratiae supernaturalis auxilio, ex eodem virtutis, et honestatis amore, quo praecepta quaedam legis naturae valet observare, leves aliquas vincere tentationes, et quidem alteri minime succumbendo.

X. Longe aliter de gravibus quibuscumque tentationibus, quarum non levi impulsu á cursu bonorum operum, atque á iustitiae via vehementer retrahimur, sentiendum est; has enim, victoria etiam ad salutem sterili, sive ex solo naturalis honestatis motivo, ab homine lapsa, nisi Dei gratia adiuvetur, nullatenus superari posse, non sine maximis fundamentis adserimus.

XI. Dogma fidei est, internas in statu naturae lapsae illustrationes, piosque dari voluntatis affectus divina gratia excitatos, quibus dissensu tamen libero humana resistit voluntas; ideoque secundam ex quinque famosis Iansenii propositionibus his verbis expressam: *interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*, ut haeticam ex animo execramur.

XII. Nemini iustorum volenti, et conanti secundum praesentes, quas habet, vires praecepta divina sunt impossibilia, nec unquam ipsi sufficiens deest gratia, cuius ope illa reipsa adimplere possit: oppositum autem dogma, ut temerarium, impium, blasphemum, á Patribus sub anathemate prohibitum, et haeticum pleno ore fatemur.

XIII. Peccatores, quantumvis obdurati, et excaecati, non sunt omni penitus gratia destituti, et licet non omni tempore, ac incessanter sanctas cogitationes, atque pia desideria, in eorum animo excitet misericordiosissimus Deus, adest tamen illis, pro loco, et tempore opportuno, gratia vere sufficiens, qua et peccata cavere, et á peccatis respiscere possunt.

XIV. Infidelibus omnibus, etiam pure negativis, qui nec Evangelii praedicationem audierunt, nec audire recusarunt, confert Deus sufficientia gratiae interioris auxilia, quibus remote saltem ad verae fidei cognitionem pervenire, atque salutem aeternam consequi valeant.

XV. Quid vero de parvulis sentiendum, quibus sive in lucem editis, sive in utero materno, absque ulla Parentum, aut aliorum culpa, decedentibus, nulla humana industria, et diligentia regenerationis Sacramentum applicari potest? Deum pro illorum quoque salute sufficienter quan-

tum in se est providisse, plurimi, nec ignobiles docent Theologi, quorum sententiam ultro, citroque amplectimur.

DE IUSTIFICATIONE.

I. **G**RATIAE habitualis nomine nihil aliud á Catholicis intelligitur, quam donum internun animae inhaerens, atque permanenter in ipsa, quasi stola, et spirituale indumentum, perseverans, quo homo Deo gratus, iustus, filius eius adoptivus, divinae consors naturae, et haeres vitae aeternae efficitur.

II. Qui in iustificatione impii peccata tegi tantum, et occultari dicunt iustitia Christi, propter quam peccatori non imputentur, licet in eo revera maneant, non autem deleri penitus, nec auferri, luculentissimis Scripturae, et Patrum testimoniis refragantur.

III. Neque in sola peccatorum remissione, aut externo Dei favore *exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffundatur, nobisque inhaereat, sed in interiori etiam hominis renovatione animique decore, ac pulchritudine per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum, iustificationis naturam reponimus.*

IV. Ut adultus iustificetur necesse est *eum suae voluntatis motu praeparari, atque disponi, neque aliter iustificationis gratiam obtinere posse videtur, idque ratio, Theologorum, ac Sanctorum Ecclesiae Patrum suffragia, atque infallibilis Scripturae sacrae, et oecumenicorum Conciliorum auctoritas unanimiter testantur.*

V. Mirifice quidem falluntur Heterodoxi, dum novam fidei speciem excogitantes, unumquemque, qui suum in animum serio, et absque ulla inducat haesitatione ex numero se praedestinatorum esse, ac per Christi merita omnia sibi dimissa fuisse peccata, perfectam, atque sinceram adipisci iustitiam nimis confidenter pronunciant. Dogmatica ergo, seu historica fides, ea nimirum, qua vera esse omnia, quae divinitus promissa sunt, et revelata, credimus, ipsa est, quae ad iustificationem vere requiritur.

VI. Per fidem ideo iustificari dicimur, quia *ipsa est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis iustificationis*, non eo tamen sensu, quem tenent Protestantes, ut sola sit ad iustificationem dispositio; ad fidem enim, qua in Deum credimus, timor quoque, spes veniae, Dei amor, odium peccati, Sacramenti recipiendi, novam inchoandi vitam, divinaque mandata servandi propositum consequantur necesse est.

VII. Gratiam sanctificantem in omnibus iustis aequalem non esse, sed homines posse in accepta Dei gratia usque ad *perfectam diem* crescere, et tanto unum altero sanctiorem, atque perfectiorem evadere, quanto et grandiora sunt iustitiae opera, quibus vacavit, et maior in iis perficiendis animi fervor, adversus Iovinianum, nostraeque aetatis haereticos catholice adfirmamus.

VIII. Calvinianum de iustificationis semel acceptae per quodcumque peccatum mortale, quamvis gravissimum, inamissibilitate dogma, tanquam impium, Christianae pietati infensissimum, et vitiis omnibus latissimam aperiens viam, á Catholico viro est detestandum.

IX. Etsi nonnulla sint signa, et indicia, ex quibus iustus sibi Spiritum Sanctum, veramque adesse iustitiam, morali certitudine colligere potest,

test; nemo tamen, absque speciali Dei revelatione, indubitata, fideique innixam, quae ut pote nulli obnoxia falsitatis periculo, nedum anxietatem et animi perturbationem, verum etiam omnem prorsus timorem excludat, atque formidinem, de sua iustificatione certitudinem habet.

DE MERITO BONORUM OPERUM.

I. **M**ERGES quam Deus iustus Iudex bonis iustorum operibus reddit, verum, et proprie dictum arguit meritum, cui non ex decentia, et congruitate solum, sed ex iustitia praemium debetur. Vehementer ergo carpendi, et contemnendi sunt Novatores, qui omnia iustorum opera non nisi sordes, et inquinamenta esse contendunt, atque meriti nomen tanquam fastuosissimum, ac superbiam redolens, reicere non erubescunt.

II. Cum haereditas ad filios, non ad servos pertineat, cumque Deus temporalem hominum vitam militiae, ac laboribus destinaverit, in altera autem coronam statuerit, atque mercedem, rectissime ad meritum de condigno, tum iustificantem gratiam, tum statum viae ex parte hominis merentis requiri, universi Theologi adfirmant.

III. Quilibet actus, ut de condigno sit meritorius, omnino liber debet esse á necessitate, nec non bonus, laudabilis, honestus, ex actualis gratiae auxilio elicitus, et in obsequium Dei factus per actualem, aut virtuales saltem charitatis influxum.

IV. Quantumvis bona, perfecta, et á charitate imperata sint iustorum opera, quantamcumque habeant cum aeterna gloria proportionem, atque dignitatem, nisi ex parte Dei mercedis adsit repromissio, non est ipsis praemium ex iustitia persolvendum, sive nullo pacto de condigno meritoria esse possunt.

V. Reparationem post lapsum nemo potest sibi de condigno mereri: unde qui sanctitatis fecerit iacturam, si misericorditer ad poenitentiam trahatur, non condigno quidem praecedentis iustitiae, quae deperit, merito, sed de congruo tantum, gratiam iterum consequetur.

VI. Magnum perseverantiae donum, licet per preces, et bona opera suppliciter impetrari possit, ideoque inter ea dona, quae de congruo emerentur, recte connumeretur, cum singulari tamen Dei beneficio, solis in Christo electis ante mundi constitutionem sit praeparatum, atque nulli mortalium ex iustitia debitum, sub merito de condigno cadere nequit.

VII. Neque peregrinantes á Domino iusti, neque regnantes etiam in gloria electi, primam actualis, aut sanctificantis gratiae collationem sive de condigno, sive de congruo stricto, vel infallibili aliis promereri possunt.

Vidit D. Fr. Iacobus de Llanza, et de Valls Prior Collegii.

Barcelona Enero 27 de 1806.

*Por lo que á Nos toca pueden imprimirse.
Basart Vic. Gen. y Offic.*

Barcelona 22 de Febrero de 1806.

*Imprimanse,
Vega.*



(27)
test; namo famen, abaque speciali Dei revelatione, inabitatam, fidelique
inamiam, quae ut pote nulli opponit salubris periculis, admodum an-
tem et animi perturbationem, verum etiam omnium prorens timorem ex-
citat, atque formidinem, de sua iustificatione certitudinem habet.

DE MERITO BONORUM OPERUM

I. Merita quam Deus iustus Index bonis iustorum operibus reddi-
verum, et proprie dictum arguit meritum, qui non ex decernit, et con-
gruente solum, sed ex iustis praemium debetur. Volens enim ergo con-
pensi, et commendat sunt iustiores, qui omnia iustorum opera non nisi
bonis, et instrumentis esse considerant, atque iustitiam non in laudam
iustissimum, ac superbum redolens, tenent non cupiscunt.

II. Cum haereditas ad filios, non ad servos pertinet, cumque Deus
temporalium hominum vitam iudicat, ac iudicium debeat, in aeternis
aeternam coronam statuerit, atque mercedem, rectissime ad meritum de con-
gruo, tum iustissimum gratiam, tum statum vitae, ex parte hominis in-
teritus requiri, universi Theologi adhaerent.

III. Quilibet actus, ut de condigno sit meritorius, omnino liber debet
esse a necessitate, nec non bonis, invidiis, honoribus, ex actu gra-
tiae auxilio elicitus, et in obsequium Dei factus per actum, qui vi-
talem eorum charitatis influxum.

IV. Quamvis bonis, peccatis, et a charitate impedita sint iustis
tamquam, quantumque habeant cum actibus gloria proportionem,
atque dignitatem, nisi ex parte Dei mercedis aeternae retribuitur, non est
talis praemium ex iustitia personarum, sive nisi pacto de condigno
iustitiae esse possunt.

V. Reputatioem post lapsum non potest sibi de condigno mereri
tandem qui annuitur locum factum, si iustitiam ad meritum
trahatur, non condigno quidem invidiis iustitiam, quae deperit,
merito, sed de condigno factum, eorum iustitiam consequitur.

VI. Merita personarum bonum, licet per peccata, et bona opera
suppliciter impenduntur, in hoc iustitiam, quae de condigno em-
tione, recte cognoscitur, cum aliquid factum Dei debeat, et in
Causa electis ante nulli operationem ad praeparationem, etiam nulli
merito, ex iustitia delectum, et merito de condigno eorum iustitiam.

VII. Neque personarum a bono iustis, neque personarum etiam in
gloria electi, bonum actum, aut meriti, etiam collationem esse de
condigno, sive de condigno merito, vel iustitia, etiam praeparat.

Wm. D. Dr. Facultatis de Theologia, et de Theologiae Praeceptorum

Facultatis de Theologia, et de Theologiae Praeceptorum

Per loquor a Theologiae Praeceptorum

Wm. D. Dr. Facultatis de Theologia, et de Theologiae Praeceptorum

Facultatis de Theologia, et de Theologiae Praeceptorum

Wm. D. Dr. Facultatis de Theologia, et de Theologiae Praeceptorum

Wm. D. Dr. Facultatis de Theologia, et de Theologiae Praeceptorum